



**I**ohannes Nider Germanus apud uiros eruditos notissimus fuit. Erat enim omni genere literarum in sacris & prophanis authoribus doctissimus. In philosophia scholastica clarissimus, & in habendis sermonibus ad populum excellentissimus. Is ordinem prædicatorum ingressus, hæreticæ prauitatis inquisitor, & maleficarum inuestigator constitutus fuit. In Concilio etiam Basiliensi ob raram integritatem uitæ, & omnigenam eruditionem magna authoritatis extitit, atq; suo ordini ornamento fuit.

Hunc ordinem olim sub Innocentio tertio pontifice inchoarat Dominicus Calaguritanus Hispanus, Anno reparatæ salutis humanæ millesimo ducentesimo. Is enim cum paucis socijs nouam obseruationem instituit, & ipsi nouum uestimentum dedit, tunicam candidam, nigro pallio superiecto, & ab humeris ad caput scapulari tegmine. Et ne pietatem colendo domi ociarentur, docuit eos in primis sua prædicatione (unde nomen nouæ familiæ indiderat) longè lateq; omnibus terris diuulgare Euangelium, præsertim cum eo tempore Albigenium doctrina Tolosæ uigeret. Hanc Dominicus compescuit, atque ordine ipsius approbato à Honorio, ipse à Gregorio nono pontifice inter sanctos relatus fuit. Fuit ea tertia mendicantium monachorum familia. Prima enim erat Augustinianorum, secunda Carmelitanorum, tertia Dominicanorum, & quarta Franciscanorum.